



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)



## PRÆFATIO.

In Historia Ecclesiastica gressum promoventibus, Amice Lector! major se nobis in dies rerum narrandarum campus aperit, atque hæc quoque Pars non minus scitu jucunda, quam utilia & mirabilia Lectori Scientiæ Ecclesiasticæ studioso exhibet. Leges, & agnosces in Sacramentario, quod S. Gelasium Auctorem habere non sine fundamento creditur, Sacrorum Rituum in Ecclesia Catholica Antiquitatem, & Majestatem, quæ ne in oculis Lectorum Protestantium emicaret, folia ista Interpres Protestans solertissima impudentia omisit. Leges, Clodo-

*Tomii VII.  
Materia.*

) ( 2 veum

PRÆFATIO.

veum Francorum Regem ad Fidem  
conversum, quem inter ceteros illius  
ætatis Reges, omnes Hæreticos, sibi  
Deus Catholicum & Primogenitum  
elegit.

Leges, Anastasii Imperatoris ver-  
sutiæ, Justiniani inconstantiam, Ec-  
clesiam Constantinopolitanam sub Ju-  
stino Seniore cum Romana reconci-  
liatam, & damnata in quinto Conci-  
lio Oecumenico tria Capitula. Uti-  
nam hæc utriusque Ecclesiæ Orien-  
talis & Occidentalis conjunctio ex-  
optata in perpetuum durasset! Præter-  
ea hanc Historiæ Partem S. Patris  
Benedicti ortus, vita, miracula, & Re-  
gula mirifice exornant, cujus Sacer  
Ordo, sicut hodieque in Ecclesia flo-  
ret, ita Deum precor, ut usque in fi-  
nem temporum fulgeat.

*Disceptatio-  
nes de Reli-  
gione nocent.*

Interim Interpres Protestans, sex-  
ta translata in patrium sermonem Fleu-  
rii Parte in lucem emissa, Versionem  
meam Latinam, quam ignorare non  
potest, penitus dissimulat. Patientia  
suspecta! At Parti huic sextæ præ-  
fixit Dissertationem, quam Anglus  
Ano-

PRÆFATIO.

Anonymus ante annos nonaginta scripsit, homo, si solum nomen, & eruditio sufficiat, Christianus, cujus vero Ecclesiam nemo facile divinaverit. Is multis Paragraphis probat, Disceptationes & rixas, in Materia Religionis, Ecclesiæ esse summe noxias, nempe rem, de qua hæctenus dubitavit nemo. Sed nullum indicat remedium, nisi unum omnibus, Hæreticis æque ac Orthodoxis silentium. Nullam ab altera, si modo in ea Nomen Christi jactetur, discernit Ecclesiam, nisi quod notabilius Romanam perstringat, atque Romanorum Pontificum ambitionem, & Clericorum avaritiam reprehendat. Verumenimvero, dato etiam quod aliqui Romanorum Pontificum ambitione, & Clerici multi avaritia laboraverint, quæso! num ideo verum non est, in sola Romana Communionem Antiquitatem, Unitatem, Auctoritatem, & ceteras veræ Christi Ecclesiæ Notas reperiri? Dicit hic

Anglus pag. 17. Ich möchte alsdenn (tempore mortis) den größten Religionsstreiter fragen, ob er nicht lieber im Gebethe und in Austheilung der

PRÆFATIO.

Almosen wünschete erfunden zu werden, als in der Arbeit, daß er seinen Mitknechten Streiche giebt? Optima Regula! cur igitur eam Interpres noster Protestans Anonymus, quem tamen nominare possem, si vellem, non est secutus? cur Fleurii, Viri Catholici, Historiam Ecclesiasticam verte-re aggressus toties contextum corrupit? cur Annotationes in Summos Pontifices, Clericos, & Ecclesiam Catholicam contumeliosas adjecit? an non & ipse tempore mortis suæ potius orando tempus consumpsisse, & elemosynas dedisse volet? an vir prudens & pacis amans credere potuit, neminem Catholicorum tantæ proterviæ Versionem, prout meretur, castigaturum? judicet Lector! Quis, saltem inter nos duos, rixarum, quæ secundum ipsius opinionem tantopere Christianis nocent, Auctor extiterit?

*Interpretis  
Protestantis  
calumniæ.*

Sed ecce, novum argumentum! quantum, si Superis placet, pacem & concordiam inter omnes Christianos conservandam amet! nam idem Interpres Protestans ad hanc Angli Anonymi Dissertationem Notam addidit  
hujus-

hujusmodi, pag. 43. Die Wahrheit dieses Sazes kann mit den Chinesischen Missionsgeschichten erläutert werden, die von der Römischen Kirche veranstaltet worden, die aber unzähliges Unheil nach sich gezogen . . . & paulo infra: Ein Dominicaner, ein Franciscaner, ein Augustinianer, ein weltlicher Priester, der unter die Heiden reiset, nimmt nichts mehr mit, als einen grossen Eifer für seinen Glauben, seine Schulgelehrsamkeit, und einen guten Vorrath von abergläubigen Meynungen. Dazu kommt bey vielen der Wille sich der Leichtgläubigkeit des Volks zu seinem Zweck zu bedienen, und durch einen frommen Betrug, durch ein vorgegebenes Wunder, der Religion ein Ansehen zu verschaffen. Das ist die ganze geistliche Rüstung eines ordentlichen Römisch-catholischen Heidenbefehrers. Allein ein Jesuit läffet seine Schulgelehrsamkeit zu Haus, und führet an der Stelle derselben einige Regeln der Klugheit mit sich, die ihm der treue Fleiß seiner Obern und Lehrer eingeschärfet hat. Ein Muster solcher Befehrer

PRÆFATIO.

Lehrer war der Jesuit Ricci.&c. Vah  
Charitatem hominis! qui ante pauculas  
lineas nos docuit, melius esse ora-  
re, & eleemosynas dare, quam Chri-  
stianum, Fratrem suum, cujuscunque  
Sectæ demum fit, acerbè infectari!  
Missiones Sinenses A.R.P. Florianus  
Bahr editis Annotationibus contra Jo-  
annem Laurentium Mosheimium satis  
defendit, & Sacer hic Ordo Patrono  
aliunde advocato non indiget. Nec  
etiam cur Novatores nunquam non Pa-  
tribus S. J. furiosius quam aliis Viris  
Religiosis irasci soliti sint, quisquam  
ignorat. Illud vero, quod de ceteris  
Viris Religiosis Catholicis mentitur,  
insignis calumnia est; cum omnibus  
constet, neminem, præsertim hodie,  
nisi maxima in Deum & proximum  
Charitate fit, onerosam Missionis pro-  
vinciam posse in se suscipere, & jam  
sæpius in meis Annotationibus osten-  
derim, hunc Protestantem, quoties-  
cunque de Superstitionibus Catholi-  
corum tricatur, vel turpiter ignorare,  
quid Superstitio Theologice sit, vel  
nequiter dissimulare. Nempe, si In-  
terpres noster Protestans cum bona  
venia

## PRÆFATIO.

veniã uxoris (præsumo enim, quod habeat, quia Continentiæ hostis acerrimus est, prout ex Annotationibus suis contra Clericos Romanæ Ecclesiæ judicari debet) nisi eam secum ad Indias trahere vellet, Lutheri Evangelium prædicaturus migraret; quam, obsecro! Infidelibus afferret Doctrinam? nullam certe aliam, quam ut in Jesum Christum crederent; relicta libertate, deinde Sacram Scripturam, ubi de Jesu Christi Divinitate & Humanitate loquitur, vel cum Arianis, vel cum Nestorianis, Eutychianis, Monothelytis ceterisque Hæreticis explicandi; Doctrinam, inquam, nullius Ecclesiæ Auctoritate fundatam, & denique talem, qualem Angelus Anonymus, cujus Dissertationem adduxit, profitebatur, quæ nullo sensibili signo ab omnium temporum Hæresibus discerni possit. Tu vero, Lector Benevole! laborem meum quantumcunque boni confule,  
& vale!

